



**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Dvb. 1. Vtrùm præterquam quod per hanc actionem vnitiuam tribuatur  
humanæ naturæ subsistentia Verbi, & præter relationem resultante[m]  
inter illa, producatum etiam aliquid creatum in humanitate, quo ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

eius. Quare hæc unio non est dicenda accidentalis, ut vult Durandus, sed substantialis; quia substantiale complementum, non est accidens. Secundò, quia Verbum unitum est humanitati immediatè sine vlllo accidente medio: ergo non accidentaliter, sed substantialiter.

Dices; humana natura est omninò extra rationem Verbi: ergo accidentaliter ei aduenit.

Respondeo Negando consequentiam, præsertim si physicè loquamur: nam anima, & omnis forma substantialis, est extra rationem corporis seu materiæ; & tamen non aduenit ei accidentaliter, sed substantiali unione. Simili modo aduenit alimentum corpori; pars aquæ, alteri aquæ; & similia. Reliqua vide apud D. Thomam.

ARTICVLVS VII.

Utrum unio Diuina & humana natura sit aliquid creatum?

38 **R**espondetur; unio ipsa est aliquid creatum re ipsa existens in creaturâ; in Deo autem tantummodò secundùm considerationem rationis.

Probatum Primò, quia quidquid incipit esse in tempore, est aliquid creatum: atqui hæc unio caput esse in tempore: ergo est aliquid creatum.

Secundò, quia hæc unio est relatio (id est, modus relatiuus) inter naturam diuinam & humanam, ut conueniunt in vnâ personâ Verbi: atqui omnis relatio inter Deum & creaturam, in creaturâ quidem realis est; in Deo verò tantummodò fictione rationis.

Notandum Primò, In Responsione ad 3. *Quid aliquid dicatur creatum, hoc magis respicit esse ipsius, quam rationem.* Sensus videtur esse; si alicuius rei esse caperit in tempore in aliqua naturâ creatâ; id censetur absolutè creatum, quamuis in suâ ratione includat aliquid increatum: quare unio humanitatis cum personâ diuinâ, est quid creatum; quia hæc unio caput in tempore in naturâ creatâ, ut dicitur in responsione ad secundum, quamuis ratio huius unionis includat personam Verbi.

Notandû Secundò, Unionem tripliciter accipi.

Primò, Pro actione qua aliqua uniantur, quæ potius dicitur unio. Sic generatio hominis, & resuscitatio, est unio animæ cum corpore. Et hæc unio, est communis toti Trinitati, ut docet D. Augustin. in Enchiridio cap. 38. & Fulgentius de fide ad Petrum cap. 9. Conc. Toletan. sextum, & Vrdecimum, utrobique c. 1. Ratio est, quia est operatio tendens in creaturâ, siue est operatio ad extra: atqui omnis talis actio est communis toti Trinitati: ergo &c. Sola tamen persona Filij terminat humanam naturam; quia esse terminum, nullam propriè causalitatem insinuat.

Secundò, Sumitur, pro unione passiuâ, quæ per illam actionem fit, à qua res dicuntur vnita.

Tertiò, Pro relatione resultantè inter res iam vnitas.

D V B I V M. I.

Utrum præterquam, quod per hanc actionem unitiuam tribuatur humana nature subst-

sentia Verbi, & præter relationem resultantem inter illa; producatur etiam aliquid creatum in humanitate, quo ipsa formaliter sit vnita Verbo?

**S**unt tres sententiæ hac de re, quas recenset Gabriel in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 1. 60  
Tres sententiæ.

Prima est, per actionem unitiuam nihil produci creatum in humanâ naturâ, quo ipsa formaliter Verbo vnitur; sed solum produci hoc suppositum humanum, constans ex creato & increato; scilicet ex naturâ humanâ & Verbo. Ita Greg. Arimin. in 1. dist. 28. quæst. 2. ad 17. & 18. hanc fusè refutat Gabriel; & bene. 1. Ariminenfis.

Secunda est, produci in humanitate quandam qualitatem supernaturalem, quâ formaliter Verbo vnitur. Sicut enim est quedam qualitas, scilicet gratia, vel caritas, qua tota Trinitas incipit animè vniri; ita etiam esse aliam quandam qualitatem, quâ humana natura immediatè vnitur personæ Verbi. Ita Gabriel loco citato, & fusius in 1. dist. 30. quæst. 4. 2. Gabrielis.

Tertia est, solum quandam relationem produci in humanitate; à qua dicitur vnita Verbo. Ita Scotus dist. 1. quæst. 1. & Durand. dist. 5. quæst. 2. in 3. sent. & D. Thomas hoc loco, & infra quæst. 16. art. 1. ad 4. Quæ sententia, si intelligatur de relatione propriè dictâ & prædicamentali, omninò falsa est, ne dicam erronea. Si verò intelligatur de modo quodam relatiuo transcendentali, sicut auctores illi indubiè intelligunt, ut patet ex Durando & Gabriele, & ex fundamentis Scoti; sic est vera, & pro eâ 3. Scoti.

Dico Primò, Per hanc actionem unitiuam, productum est in humanitate Christi aliquid creatum, ab illâ aliquo modo distinctum; quo in illâ permanente, necessariò illa manet hypostaticè vnita Verbo. Est communior sententiâ DD. Durandi, Scoti, Guilielmi Occami, Bonauenturæ in 3. dist. 1. vel 5. D. Thomæ hic. 61  
Unio est aliquid creatum ab humanitate distinctum.

Probatum Primò, Quia impossibile est, ut duo quæ secundùm se non sunt vnita, incipient esse vnita, nisi fiat aliqua mutatio in altero eorum, idque per aliquam actionem positiuam: atqui actio positiuam necessariò facit aliquid positiuum in re.

Confirmatur, Quia etiamsi humanitas consideretur abstracta à propriâ personalitate, nõ idèò necessariò intelligitur vnita Verbo: ergo debet interuenire actio positiuam, per se primò tendens ad hanc unionem; & consequenter aliquid positiuum in humanitate relinquit. Obiectio Ariminenfis.

Respondet Gregorius Arimin. allatâ instantiâ. Primò, Quia albedo potest incipere inharere, & desinere inharere subiecto, sine vllâ mutatione factâ in altero eorum. Secundò, Lumen candele potest incipere dependere à solo Deo, sine vllâ mutatione luminis. Denique, potest quis incipere esse gratus Deo, qui ante non erat, sine vllâ sui mutatione.

Respondeo; Primum exemplum non esse verum: Nam quando albedo incipit inharere, & ipsa, & subiectum mutatur: ipsa enim suum modum naturale acquirit; quem pari modo perdit quando desinit inharere, etiamsi ipsa salua maneat. Similiter secundùm falsum est, quia lumen in casu accipiet nouam dependentiam, ac proinde nouum essendi modum. Tertium exemplum, non est ad Refellitur.

59  
Unio tripliciter accipitur.

est ad rem: quia esse gratum, in eo casu, solum erit quid morale, nihil reale ponens in homine. Sicut esse gratum Principi.

Probatum Secundò, Illa actio vnitiua nihil facit circa Verbum; cum ipsum non sit capax vllius passionis illatae: ergo facit aliquid circa naturam humanam. Atqui hoc non est increatum, quia increatum non fit; nec potest esse terminus actionis creatae: ergo facit aliquid creatum, ratione cuius, humana natura manet copulata personae Verbi.

Dico Secundò, Id quod propriè producitur per hanc actionem vnitiuam in humanitate Christi, quo ipsa formaliter Verbo vnitur, non est aliqua supernaturalis qualitas, seu habitus; neque aliqua relatio propriè dicta, & accidentalis.

Prior Pars est contra Gabrielem.

Probatum Primò, Synodus V. can. 4. damnat eos qui dicunt hanc vnionem esse factam per gratiam. Probatum Secundò, Quia haec qualitas, vel erit solù dispositio requisita in humanitate; Sicut in materia requiritur dispositio ad formam: & hoc non facit ad rem; quia talis dispositio non est formalis vnio. Vel haec qualitas, est ipsa formalis vnio humanae naturae cum Verbo, vt expressè dicit Gabriel; ac proinde haec vnio est omninò accidentaria. Tertiò, Vnio naturae cum subsistentià proprià nõ fit per aliquod accidens; similiter nec vnio animae cum corpore; nec vnio partium integralium inter se: ergo nec ista. Quartò, Quia fieri nequit; vt qualitas creata excludat formaliter propriam subsistentiam naturae cui inest, cum potius illam supponat, vt sustentetur. Quintò, Quia impossibile est vt qualitas aliqua vniat humanam naturam hypostaticè Verbo diuino; tum, quia vnio hypostatica constituit substantiã per se subsistentem; hoc autem non potest facere accidens: tum, quia nulla est qualitas in natura vnità, quae non possit in eã conseruari post separationem. Sextò & postremò, Quia nulla est ratio, cur haec qualitas magis vniret humanitatem Verbo, quam Patri & Spiritui sancto, cum ab omnibus aequè procedat. Nec obstat quòd detur qualitas quae vniat animam toti Trinitati, scilicet gratia vel charitas: tum, quia non vnit eam substantialiter; non enim anima per eam fit Deus: tum, quia Trinitas per gratiam nõ incipit esse nouo modo vnita animae, nisi obiectiue, sicut amatum amanti; & moraliter, sicut res possessa possidenti intra ipsũ existens, quae possidens interiùs fruitur.

Alter pars Probatum. Primò, Quia Synodus V. can. 4. damnat hanc vnionem; esse factam per relationem. Secundò, Capitulo Cum Christus. tit. de haereticis, definitur terminum huius actionis esse quid substantiale; & idèò Christum esse aliquid, id est, substantiam; non autem ad aliquid: ergo formalis terminus non est relatio accidentaria; alioquin Christus potius esset ad aliquid, quam aliquid. Tertiò, Relatio sequitur vnionem; nam ad relationem non est per se actio: ergo supponit vnionem; ac proinde ipsa non est primum vinculum humanae naturae cum Verbo: Imò nec vllò modo est vinculum; nam solùm quasi per accidens resultat ex vnione.

Dico Tertiò, Id quod Primò fit per hanc actionem vnitiuam, non est aliud quàm modus quidam ipsius humanae naturae, modaliter tantum ab illà distinctus; qui dici potest inexistencia hu-

manitatis in Verbo: qui non est accidens, sed substantialis modus. Haec est verè sententia Scoti, Durandi, Occami, D. Thomae, & aliorum.

Et Probatum Primò, Quia anima cum in refurrectione vnietur corpori, neque mediante qualitate, aut relatione vnietur; sed solùm mediante quodam modo substantiali, qui est inexistencia, informatio, viuificatio &c: secundum quem dicitur informare & viuificare corpus: ergo similiter dũ humanitas vnitur Verbo, nihil requiritur nisi modus quidam substantialis inexistenciae, secundum quem dicitur inesse, inferi Verbo: ergo hic modus fit per actionem ipsam vnitiuam.

Secundò, Existencia humanitatis Christi sibi relicta, naturaliter terminanda & modificanda erat modo quodam substantiali, qui est subsistentia, quo ipsa priuata fuit per hanc vnionem: ergo consecuta est alium modum repugnantem subsistentiae creatae: atqui nihil aliud repugnat illi subsistentiae, quam inexistencia: ergo consecuta est hunc modum, qui est inexistencia in Verbo. Sicut accidentia dum separantur à subiecto, priuantur modo existendi quem habebant in subiecto; & acquirunt alium huic repugnantem, siue positium siue priuatiuum.

Tertiò, Verè, propriè, & realiter, humana natura est in Verbo: ergo hoc ipsum, esse in Verbo, est aliquid in humanitate ipsa: atqui non est ipsa sola humana natura; quia quidquid illa sola est, potest intelligi absque illo, esse in Verbo; non enim ipsa secundum se necessariò est in Verbo: neque etiam est ipsum Verbum, quia hoc non inest ipsi humanitati; nec ipsa humanitas per ipsum Verbum potest dici formaliter esse in Verbo; sicut esse in corpore, non est ipsum corpus, sed affectio eius quod est in corpore: ergo esse in Verbo, est modus quidam ipsius humanitatis.

Obijetur Primò, Verbum terminare & sustentare, non est aliquid in Verbo diuino: ergo neque humanitatem esse in Verbo, ponit aliquid in humanitate.

Respondeo Negando Consequentiam: Ideò enim terminare & sustentare non ponit aliquid in Verbo, quia vnio non est facta per actionem circa ipsum Verbum, sed circa humanitatẽ. Vnde Verbum terminare nihil est aliud, nisi: imè & substantialiter esse humanitati coniunctum: quod ex eo habet, quòd humana natura tali modo illi sit adstricta, atque adeò illi inrita: inde enim oritur illa denominatio in Verbo.

Obijetur Secundò: Hic modus est quid creatum & imperfectum: ergo gratia vnionis, quae est summa perfectio, non potest in eo consistere.

Respond. Etsi ille modus in se sit aliquid creatum, tamen est ingens perfectio; quia est intima coniunctio humanitatis cum Verbo: imò ratione termini quem hic modus intrinsecè includit, est perfectio infinita: Nam in sua ratione includit suppositum diuinum infinitae perfectionis: est enim veluti inhaesio, insitio, inexistencia in Verbo; ac proinde eiusdem quodammodo ordinis cuius ipsum Verbum, magisque supernaturalis quam vlla qualitas creata. Vnde inuoluit contradictionem, vt humanitas sit affecta hoc modo, & tamen non intimè sit vnita Verbo: Sicut implicat accidens affectum esse modo inhærentiae, non tamen inhærerẽ subiecto. Quare sicut vnio animae cum corpore, facit corpus vnum cum anima,

Vide hanc  
questionẽ  
in e & lo-  
cupletè de-  
ductam in  
lib. 12. de  
Perf. d.  
Diuinis  
cap. 6.

65  
Obiectio-  
nes soluan-  
tur.

66

Perfectio  
& digni-  
tas huius  
vnionis.

ita vt

62  
Sententia  
Gabrielis  
quod  
vnio haec  
fit habitus  
supernatu-  
ralis.  
Resellit ur.

63  
Vnio haec  
non est re-  
latio acci-  
dentalis.

64  
Est modus  
substantia-  
lis.

ita vt impossibile sit simul esse non vnum; ita hæc vnio facit hominem Deum, sic vt eâ permanente, impossibile sit esse non Deum. Et si enim hæc vnio non sit causa formalis per quam homo est Deus; tamen est intima causa formalis applicatio. Neque est simile de illâ qualitate Gabrielis, quia illa est accidens; hic verò modus est quid substantiale,

## DVBIVM II.

*An, id quod constat hac Vnione, sit creatum quid, an increatum?*

<sup>67</sup> *Et partim creatum, partim increatum.* **R**espondeo, illud compositum propriè nec creatum esse, nec increatum; sed partim creatum, partim increatum. Sicut compositum ex carne & Spiritu, nec est caro nec Spiritus absolute; sed partim caro, partim Spiritus. Est creatum, ratione naturæ humanæ, & ipsius vnionis: increatum, ratione personæ diuinæ. Potest tamen dici creatum, quâ compositum; quia ipsa vnio creata est. Item potest dici factum in tempore; Nam hoc compositum non semper fuit. Quia tamen non est totum ex nihilo, ideo non propriè diceretur creatum: Nam creatum est, quod totum est ex nihilo.

## ARTICVLVS VIII.

*Virum Vnio Verbi Incarnati, idem sit quod Assumptio?*

<sup>68</sup> *Vnio & Assumptio differunt triplex.* **R**espondetur; Vnio differt ab Assumptione tripliciter. Primò, Quia vnio est relatio, id est, modus relatiuus: Assumptio autem, est actio. Secundo, Vnio significatur vt in facto esse; Nam ab vnione, dicitur vnitum, non vnies, Quod intellige de vnione, vt est nomen; non de vnitione: Assumptio autem significatur vt in fieri; nam ab eâ dicitur quis assumens. Tertio, Vnio non includit determinatè terminum ad quem, vel à quo est vnio: Assumptio verò vtrumque terminum includit.

*Explicitur.* Notandum. Si vnio accipiat pro relatione resurgente inter vnita, manifestum est quomodo differat ab Assumptione: Nam Assumptio non est relatio, sed actio per quam relatio vnionis confurgit. Si tamen vnio accipiat pro vnitione, sic non differt re ab Assumptione; sed eadem actio est Vnio & Assumptio: Nam habent eundem terminum totalem, qui per illam actionem existit, nempe Christum hominem & Deum: & formalem, scilicet inexistentiã humanitatis in Verbo. Solum differunt quod Vnio significet illam actionem simpliciter, nihil connotando; Assumptio autem connotat eandem personam esse principium illius actionis. Vnde duplicem insinuat habitudinem, principij & termini: Assumere enim est aliud ad se sumere.

<sup>69</sup> Hinc fit Primò, Vt Pater & Spiritus sanctus rectè dicantur vnies humanam naturam, non tamen assumens, quia etsi sint principij assumptionis, non tamen sunt terminus. Verbum verò rectè dicitur vnies & assumens. Secundo fit, vt Verbum dicatur vnitum & non assumptum. Vnitione enim non inuoluit vnum extremum potius

quàm aliud, & ideo denominat vtrumque extremum: Verbum enim vnit seipsum humanam naturam, vnde ipsum dicitur vnitum; & humanam naturam vnit sibi, vnde ipsa dicitur vnita Verbo. Assumptio autem inuoluit alterum extremum, scilicet rem assumendam, tamquam distinctum: Nam denotat respectum agentis ad aliquid distinctum, cum reflexione ad seipsum, tamquam ad terminum. Vnde Verbum non assumit se, sed naturam humanam assumit, id est, ad se sumit. Accedit, quod vnio generatim denotet actionem, vel coniunctionem duorum, quomodocumque ea fiat: Assumptio verò, explicet etiam ipsum modum vnionis; nempe id quod assumitur, ita vniri alteri, vt ab eo sustentetur.

Petes, Quomodo vnio & Assumptio differunt ab Incarnatione?

<sup>70</sup> *Vt differant vnio & Assumptio ab Incarnatione.* Respondeo; Cùm Incarnatio significet actionem, non differt ab vnitione, nisi quod specificet rem, ad quam facta est vnio; vt notat Damascenus lib. 3. de fide cap. 11. Incarnatio enim est vnio cum carne; vnde Verbum dicitur incarnatum, id est, carni vnitum, non autem humana natura: terminum verò naturæ assumptæ non denotat, sicut assumptio. Vnde Pater etiam incarnauit Verbū. Eadem est ratio humanationis. Vide D. Thomam ad 3. & Damascenum suprâ.

## ARTICVLVS IX.

*Virum vnio duarum naturarum in Christo sit maxima vnionum?*

<sup>71</sup> **R**espondetur duabus Conclusionibus. Prima, Vnio ex parte personæ, in qua duæ naturæ copulantur, est maxima vnionum. Secunda, Ex parte rerum quæ vniantur, non est maxima.

## DVBIVM III.

*Virum hac vnio sit maxima vinculo, siue in ratione Vinculi?*

<sup>72</sup> **N**otandum est, Duplicem hęc considerari Vnionem: Prima est, duarum rerum immediate inter se; vt Verbi cum natura humana. Secunda, duarum rerum in aliquo tertio; vt naturæ diuinæ & humanæ in eodem supposito.

Durandus in 3. disp. 5. quaest. 3. censet vnionem subsistentiæ Verbi cum natura humana, non esse maximam vinculo inter vniones creatas. Sed contrarium tenendum est. Pro quo

Dico Primò, Vnio personæ Verbi cum natura humana est maior vinculo, quàm sit vlla alia inter res creatas realiter distinctas. Ita D. Thomas hic & in 3. dist. 5. quaest. 1. art. 3. Scotus & Bonauentura dist. 6. & alij.

Probatur Primò, Testimonio D. Augustini quod hic adfert D. Thom. & ex D. Bernardo lib. 5. de Consider. ad Eugenium: Arcem tenet vnitas Trinitatis, in qua tres Personæ sunt vna substantia. Secundo loco illa præcellit, in qua e diuerso tres substantiæ sunt vna in Christo persona. Loquitur autem de ratione coniunctionis seu vinculi, qua hæc vnio ceteris antecellit; non autem de dignitate vnionis, vt vult Durandus. Patet ex Bernardi ratione: tres substantiæ sunt vna persona.

Probatur